

tur, recte facultates Ecclesie ex oblatione fidelium provenientes, *vota* fidelium dicuntur.

VI. Dicuntur in superpretia vel redemptio peccatorum quia fideles temporalia Deo offerunt, ut juxta divinum monitum, eleemosynis peccata sua redimant; vel ut faciant sibi amicos de mammonia iniquitatis, ut cum defecerint recipiant ipsos in aeterna tabernacula: hæcque ratio fere in omnibus piarum donationum antiquis instrumentis occurrit.

Hinc & jam pridem dictum, quod Sacerdotes comedant peccata populi eò quòd comedant ea quæ populus in expiationem peccatorum offert.

VII. Verùm cum Deus usu rerum temporalium nostrorum non insigeat; sed ea sibi impensa reputet Christus, si ea pauperibus, tamquam fratribus & membris suis impendantur, hinc non dubitavit Ecclesia, quin ex mente fidelium, qui ea Christo dedicant, pauperibus esse impendenda; quin à fidelibus tamquam eleemosynas pauperibus, ut membris Christi esse oblata & donata, ut propterea recte dicuntur *patrimonium pauperum*.

VIII. Et quidem cum hæc appareat primaria fidelium offerentium intentio, ut ipsi per sua bona Christum in suis membris pascant, & foveant, etiam frequentius & constantius facultates Ecclesie, *patrimonium pauperum*, & res *pauperum* appellatae fuerunt.

IX. Hinc sæpissime facultates Ecclesie simpliciter dicuntur *res & patrimonium pauperum*.

Sanctus Gregorius monet Protasium Aquensem Episcopum, ut Virgilio Episcopo Arelateni dicat: "Ut pensiones quas prædecessor ejus per annos plurimos de patrimonio nostro percepit, & apud se retinuit, ad nos quia pauperes sunt, studeat destinare." *Lib. 5. Epist. 5. 5.* Non dubitavit ergo S. Gregorius, patrimonium Ecclesie Romanæ dicere *res pauperum*.

Et in *Epist. 57.* ad Arigium Gallie Patricium scribit: "Præterea in filium nostrum Candidum Presbyterum, quem ad gubernationem *patrimoniali* Ecclesie nostræ, quod illic est, transmisimus, vobis per omnia commendamus, confidentes à Deo nostro vos mercedis vicem recipere, si *res pauperum* solatia sua gloria vestra devotâ mente præstiterit.

Sive ergo res Ecclesie suæ repetat, sive tuitionem earum commendet Gregorius eas non nisi *res pauperum* considerat.

X. Quin & seculo 12. exclamat S. Bernardus: *Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane* (ait) *PATRIMONIA PAUPERUM facultates Ecclesiarum.*

XI. Circa idem tempus ad Carnotensem Antistitem scribebat nominatissimus ille Bathoniensis in Anglia Archiepiscopus Petrus Blesensis *Epist. 15.* "Si te illius discipulum profiteris, qui venit ministrare, non ministrari sic ministrabis pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum, ut *patrimonium Christi & pauperum* ejus, quod tibi commissum est, in egentium necessitates, non in usus extraordinarios expendatur.

Hic nota, confundi patrimonium *Christi & pauperum* tamquam unum sit patrimonium *Christi*, & patrimonium *pauperum*.

XII. Rursus seculo 14. Concilium Ravennatense II. *Rubrica 3.* inducere volens Episcopos, Capitula Cathedralia & Abbates, ut juxta possibilitatem suam generales Eleemosynas exhiberent, pro motivo præmiserant: "Cum juxta Prophetam, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, & Dominus dicat in Evangelio: Date eleemosynam & omnia munda erunt, & bona Ecclesiarum sint *PAUPERUM*.

XIII. Et quid plura? nonne ab ipsismet Episcopis & Conciliis tamquam *pauperum* necatores habentur, qui bona Ecclesiarum diripiunt, aut defraudant.

Synodus Matifconensis II. an. 582. *Can. 4.* "Ut qui ob-

lationes fidelium defunctorum, quæ Ecclesie conferuntur, retinent, veluti retentores Ecclesie aut egentium necatores ab Ecclesie liminibus arceantur.

Et apud Nostrates celebratum an. 630. Concilium Remense *Can. 20.* ait: "Clerici etiam vel seculares, qui oblationes aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumserint, aut id quod ipsi donaverint Ecclesie aut Monasteriis crediderint auferendum, sicut ante Synodus Sancta constituit, veluti *necatores pauperum*, quosque reddant, ab Ecclesie excludantur.

Sive ergo oblationes *pauperum*, sive donata Ecclesie, aut Monasteriis abstulerint, habentur à Concilio veluti *necatores pauperum*; quo aperte significat, se res Ecclesie donatas, aut *pauperum* alimonie deputatas considerasse.

XIV. Quin & idem Concilium *Can. 21.* vult, ut Episcopus, qui quocumque ingenio aut callida cupiditate, res quæ ab alia Ecclesia præsentialiter possidentur, pervaserit, aut sine audientia præsumserit usurpare, ac suis vel Ecclesie suæ ditionibus revocare, dum communitio, ne privari non potest, ut *necator PAUPERUM* officio deponatur.

XV. Legitur quoque in Capitularibus Regum Francorum *lib. 6. c. 136. & lib. 7. c. 491.* "Ne cui liceat res vel facultates Ecclesie vel Monasteriis vel Xenodochiis pro quacumque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tamquam *necator pauperum*, antiquorum Canonum sententiis constitutus ab Ecclesie liminibus excludatur, quamdiu ab ipso ea quæ sunt ablata & retenta reddantur.

Notandum, æquè pro *pauperum* necatoribus haberi qui res Ecclesie donatas diripiunt, quam diripientes res Xenodochiis datas, quod supponit, eas omnes ut *res pauperum* fuisse reputatas.

XVI. Plura in hanc rem Synodorum testimonia collegit Joannes Lanonius Theologus Parisiensis in libro *De Cura Ecclesie pro miseris & pauperibus c. 4.* qui tandem exhibitus his testimoniis, observat, quod Synodi eos, qui Ecclesiastica bona rapiunt, & in suos alienosve usus convertunt, *pauperes* necare afferant, & *pauperum* necatorum res appellent, non evectores Basilicarum, non Episcoporum necatores. Et tamen laici non sunt qui sic loquuntur. Ipsi sunt Episcopi, quorum intererat rebus suis consulere, quâ meliori & certiori ratione consulere poterat. Non dubitabant sanè sanctissimi illorum Conventuum Patres, res Ecclesie esse *patrimonium pauperum*; ideoque & hoc nomine vindicandas, & tuendas.

XVII. Hodie quoque facile bona Ecclesie habentur & afferuntur à Clericis *res pauperum*; scilicet si vindicanda & afferenda sint; sed si consummentia sint, non tunc pauperum; sed *Clericorum* esse clamatur; uti rectè refert ingeniosus Revisor operum S. Gregorii ad *Epistolam 57. libri 6.* eadem notam renovans ad *Epistolam 28. libri 8.*

XVIII. Itaque merito observatum à Christiano Lupo tomo 2. Scholiorum in *Canones pag. 1318.* Ecclesiastica bona non solummodo ad Clericos, sed etiam ad captivos, vos, peregrinos, orphanos, viduas, quosvis pauperes, stricto & æquo proportionis jure pertinere, est lucidum dogma Apostolorum, omnium Sanctorum Patrum, cunctarum sub cælo Ecclesiarum.

XIX. Nihil notius est, quàm fideles qui vel inter vivos vel mortis causâ bona sua rectâ intentione Ecclesie relinquunt, ea donare & relinquere propter honorem Dei & ad animarum suarum salutem.

Unde citatus Christianus Lupus tom. 5. Schol. in *Canones pag. 191.* rationem allegans, cur Episcopi & laici seculo octavo & nono decimas potius Canonice, quam Presbyteris Pagensibus dare voluerint, ait: "Sanctissima erat istorum Clericorum vita, ideoque per ipsos, quam per Pagenses Presbyteros vitæ sunt decimæ fidelibus in

paupe-

*pauperes* & Ecclesie fabricam dispensanda. Eorum sanctitati creditum fuit tatum decimarum onus: & honesta Presbyteri alimentatio, & Ecclesiastica fabrica reparatio, & cura pauperum & peregrinorum.

Hinc autem nisi obisset potius, quàm prodesset, voluntas relinquendi sua bona Clericis, ut ipsi abundarent, & in profanos usus, neglectis pauperibus, infunderent; aut suos consanguineos ditarent; vel ipsi ex iis ultra moderatam, & Clerico convenientem sustentationem acciperent.

XX. Imò etiam si laici dum bona sua offerunt, ea de re non cogitent; aut aliam forsitan intentionem parum Christianam haberent, Ecclesia tamen non aliter ea acceptaret, nisi ut bona illa, tamquam *patrimonium Christi* & *res Dei*, cui offeruntur: non in usus superfluos, nec in divites; sed in necessitates Ministrorum Christi, & pauperum, ejus membrorum, alio sive pios usus ad honorem Dei impendenda.

## CAPUT IV.

Quæ moderatio in usu proventuum Ecclesiasticorum à Clericis tenenda?

1. Ecclesiastici uti debent proventibus Ecclesiasticis ut rebus Dei.
2. Vetant eo titulo Canones Apostolorum aliquid ex iis dari consanguineis, nisi ut pauperibus.
3. Tantum permittunt Episcopo ut sumat ad suos necessitates.
4. Solliciti fuerunt SS. Episcopi, ne ex bonis Ecclesie ultra necessaria acciperent; exemplum S. Chrysostomi.
5. Christus voluit operarium Evangelicam necessariis esse contentum.
6. Nec post bonorum Ecclesie divisionem aliter iis utendum.
7. Sententia S. Bernardi.
8. Removet vulgarem Ecclesiasticorum prætextum.
9. Invektiva Petri Blesensis in Prælatos qui bona Ecclesie in superfluos usus impendunt.
10. Episcopus debet esse Dispensator & promus pauperum.
11. Synodus Trid. præcipit Episcopis, ut rebus Ecclesie frugaliter utantur.
12. Id ipsum à Cardinalibus & aliis Ecclesiasticis servari voluit.
13. Sanctus Carolus voluit Episcopi vestrum esse simplicem.
14. Similiter & suppellectilem.
15. Parsimoniam desiderat in mensa Episcopali.
16. In Familia nihil vult esse superflui, desideratque ut Clerici potius quàm laici sint.
17. Eadem omnia magis ab inferioribus Ecclesie ministris servari præcipit.
18. Hortatio S. Caroli ad Clericos de utendis proventibus Ecclesiasticis tamquam patrimonio pauperum.
19. Decretum Synodi Toletane contra superfluas epulas in Episcoporum mensis.
20. Synodus Mechlinensis declarat in pauperes & usus pios expendenda quæ ex rebus Ecclesiasticis habentur ultra honestam sustentationem.
21. Deplorabat S. Bernardus, hæc à Prælati Ecclesia non attendi.
22. Quæ hujus ratio?
23. Putant plures Ecclesiastici sibi venerationem & auctoritatem accersendam per superbam suppellectilem

& familia magnificum apparatus.

24. Hunc prætextum vanum esse jam pridem ostendit Synodus Carthagenensis; cuius Decretum probavit & innovavit Synodus Tridentina.
25. Eundem prætextum alia Synodi removerunt.
26. Auctoritas Episcopis necessaria ut Fideles ad mundi contemptum excitent.
27. Ut id efficacius præsent, monet Synodus Tridentina ut mundi contemptum ipsi in omnibus ostendant.
28. Synodus Tridentina vult auctoritatem Episcopalem esse conservandam, sed morum gravitate.
29. Prælati Ecclesie attendentes, quid populo inculcare debeant sat vident hunc prætextum esse vanissimum.
30. Ideo vel maxime modestia & frugalitas ab Episcopis adhibenda ut Fidelibus præluceant.
31. Bartholomæus De Martyribus præcipuus suafor Decreti Synodi Tridentina contra luxum Prælatorum, hunc prætextum refutavit.
32. Hic tantam in omnibus simplicitatem servavit, ut multi inde caperent obloquendi occasionem.
33. Movebatur quoque contra ipsum Ludovicus Granensis.
34. Discursus quem ea occasione habuit Bartholomæus De Martyribus.
35. Hæc moderatio à Prælati Regularibus specialiter tenenda.



Ed tus Ecclesie esse res Deo consecratas; atque eo titulo, ex intentione offerentium & ipsius Ecclesie, ut *res Dei* & patrimonium Crucifixi; imò quasi *patrimonium pauperum* esse habendas & administrandas superiori capite ostendimus.

Ex quò necessariò consequitur, Episcopos & Clericos quibus harum rerum dispensatio concedita est, iis uti debere, tamquam *patrimonio pauperum & rebus Dei*.

II. Unde *Canone 37.* vulgò Apostolorum dicitur: "Omnia rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret tamquam *Deo intente*. Nec liceat autem ex iis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ *Dei* sunt, largiri. Sin autem sunt *pauperes*, ut *pauperibus* suppediet.

Quare Episcopus rerum Ecclesiasticarum curam gerens prohibetur ex iis aliquid propriis cognatis largiri, nisi ut *pauperibus*; Non alia de causa, quàm quod sint *res Dei*, quas ut *res pauperum* administrare & dispensare oportet.

III. Hinc rursus *Canone 41.* præcipitur ut in potestate sua Episcopus Ecclesie res habeat; & in ejus sit potestate omnia administrare, & iis qui egent per Presbyteros & Diaconos subministrare cum Dei timore & omni religione, & etiam, si sit opus, in *necessarium* suum usum accipere, & fratrum qui hospiti excipiuntur. Vel ut habet lectio Dionysii Exigui qua usus est Gratianus *Caus. 12. q. 1. Can. 22.* "Ex his autem, quibus indiget Episcopus (ut tamen indiget) ad suas necessitates & peregrinorum fratrum usum & ipse percipiat.

Eadem decreta sunt *Canone 25.* ad idemque quod si his non sit contentus, & res in proprios usus convertat, Synodo Provinciae pœnas persolvat. Apud Gratianum loco citato *Canone 23.*

IV. Quàm solliciti fuerint Sancti Episcopi, ut nihil præter *necessaria* ex rebus Ecclesie sumerent, acta ipsorum luculentissime exprimunt; indignè reputantes, ut quæ *pauperibus* sunt destinata, in usus superfluos absumerentur.

Arguebatur S. Chrysostomus, quod nec Episcopis, nec nobilibus convivia extrueretis reputabat, iniquum & indignum esse, INFIRMORUM & PAUPERUM CIBOS, eorum qui sani essent, libidinis exponere, ait Palladius in ejus vita c. 13.

Hinc & in *Homilia 22. in Epistolam I. ad Corinth. ait*

» Apo-



„Apostoli erant & milites, & agricolæ & pastores. Non  
 „dixit Paulus: Quis militat & non est dives? Sed quis mi-  
 „litat suis stipendiis unquam? Neq; dixit: Quis plantat  
 „vineam, & vinum non colligit, aut fructum integrum  
 „non vindemiat? Sed: Ex fructu ejus *non comedit*: Non  
 „ex agnis sed ex lacte. Oportet enim habere & fortitudi-  
 „nem militis, & agricolæ diligentiam, & curam pastoris  
 „& post hæc omnia nihil amplius querere quam *necef-  
 „saria*.

V. Et quid Christus de operariis Evangelicis? *Dignus est  
 [ait] operarius cibo suo.* Quo significatur, præter ea quæ  
 „sunt *neccessaria*, non esse Evangelico operario requiren-  
 „da, nec studendum ei, ut ex Evangelio ac spiritali ope-  
 „rata descat, secundum illud Pauli: *Habentes victum &  
 „vestitum his contenti sumus.* Ita monet Janfenius Gan-  
 „dentis in Concordiæ, Evang. c. 5.

VI. Porro sicuti infra ostendetur, natura rerum Ecce-  
 „sias per eorum divisionem in quatuor portiones, aut per  
 „erectionem beneficiorum immutata non fuit; ita & im-  
 „mutata mansit obligatio eas dispensandi ut *patrimonium  
 „pauperum* ita nec aliter quam ut *patrimonio pauperum &  
 „rebus Dei*, proventibus Ecclesiasticis utendum esse Patres  
 „& Canones edixere.

VII. Sanctus Bernardus seculo 12. adeoq; post stabili-  
 „tam bonorum Ecclesiasticorum divisionem scribere non  
 „dubitavit ad Fulconem *Epist. 2.* „Dignum est ut qui alta-  
 „rio deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi ut si  
 „bene deservis, de altario vivas: non autem ut de altario  
 „luxurietis, ut de altario superbas, ut inde compares tibi  
 „fræna aurea, sellas depictas, calcaria de argentata, varia  
 „grifeaq; pellicea à collo & manibus ornatu purpureo  
 „diversificata. Deniq; quidquid præter necessarium vi-  
 „ctum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum  
 „non est, rapina est, sacrilegium est.

VIII. Dein post pauca remonet objectionem; quam si-  
 „bi faciendam prævidebat, & quæ hodie à multis pro  
 „tendo proventuum Ecclesiasticorum superfluo usu assu-  
 „mitur: „Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito, si non  
 „facio quod ceteri, de singularitate notabor. Propterea,  
 „inquam exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter  
 „vivas, aut exemplo pereas aliorum.

IX. Post divisionem factam vivebat Petrus Blesensis,  
 „dum dixit: „Bona Ecclesiarum in victum & vestitum con-  
 „cessa, bona, inquam, *pauperum* Christi in superfluos u-  
 „sus consumimus. Qui sunt enim qui epulantur quoti-  
 „die splendide? Clerici. Qui sunt qui exquisitis aère &  
 „mari & terra vescuntur cibis? Clerici. Qui sunt qui om-  
 „ni tempore & pace fecunditatem habentes, in labore  
 „hominum non sunt, & cum hominibus non flagellan-  
 „tur? Clerici. Nos itaq; falsi fratres Christi sumus. Patri-  
 „monium enim quasi de jure fraternitatis possidemus;  
 „sed quàm falsi sumus, sippis & confortibus patet. Patri-  
 „monium enim quod sibi tam gloriosè comparavit, nos  
 „gulosè consumimus... Timeo ne cum redierit ille fra-  
 „ter noster, qui quasi peregrè modò profectus est, ratio-  
 „nem ponat nobiscum super patrimonio nobis credi-  
 „to. Quid autem poterimus dicere? *Serm. 12. in Qua-  
 „drag.*

X. Nonne facta & stabilità divisione deplorabat Præ-  
 „latorum sumptus superfluos ex bonis Ecclesiasticis B. Pe-  
 „trus Damiani; indignumq; reputabat, ut ex iis divites e-  
 „pularentur, & pauperes, quorum est substantia, excluderentur.  
 „Et cum Episcopus dispensator & promissus esse de-  
 „beat *pauperum* ad eorum mensam affluentibus deliciis,  
 „alieni ructant; cum & illi quorum est *tota substantia*,  
 „procul exclusi, famis inopià contabescant. *Opusc. 20.  
 „c. 2.*

XI. Quid plura? Ipsa Synodus Tridentina reputans Ec-  
 „clesiastica esse *res Dei*, atq; patrimonium pauperum, tam-  
 „quam consequens infert, ut patrimonio pauperum iis ef-  
 „fetur utendum, præcipiens Episcopis, ita mores suos

„componant, ut reliqui ab eis *frugalitatis*, modestia  
 „continentia, ac quæ nos tantopere commendat Deo  
 „sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapro-  
 „pter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthagi-  
 „nensi, non solum jubet, ut Episcopi modestâ suppellecti-  
 „le & mensâ ac frugaliter victu contenti sint; verum etiam  
 „in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne  
 „quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum;  
 „quodque non simplicitate, Dei zelum ac vanitatum  
 „contemptum præ se ferat.

XII. Post hæc in fine subjungit: „Quæ verò de Episco-  
 „pis dicta sunt, eadem non solum in quibuscûmq; bene-  
 „ficiis Ecclesiasticis, tam secularia quàm regularia, obti-  
 „nentibus, pro gradus sui conditione observari, sed &  
 „ad sanctæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit; quo-  
 „rum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem  
 „cùm universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas  
 „videri potest, non etiam virtutum insignibus, ac vi-  
 „vendi disciplinâ eos merito fulgere, quæ omnium in se  
 „oculos convertant.

XIII. Ut huic Decreto, & sacris Canonibus se hæc in  
 „parte conformarent Episcopi, in suo Concilio I. Provin-  
 „ciali decernit S. Carolus c. 17. „Episcopus non profano  
 „ornatu, aut apparatu, sed fidei & vitæ splendore sibi au-  
 „thoritatem querere debet. Itaq; in vestitu sericum non  
 „adhibeat. Non pretiosis pellicibus utatur, Unguenta ne  
 „sumat, neve aliâs odorum suavitates consecratur. Sit an-  
 „nulo Episcopali contentus. Ne mulæ, aut equo Episco-  
 „pali stragulum & ornamentum ex villulo, aut serico  
 „sed corio factum aut lanâ adhibebit, Ephippys aut cal-  
 „cibus, aut frænis inauratis non utetur.

XIV. Deinde c. 18. „In ejus suppellectile nihil aure-  
 „um & argenteum sit, præter levissima ac tenuissima  
 „quædam instrumenta ad cibum ori admoendum  
 „comparata. Deinde omnia quæ fastum aut pompam  
 „quocûmq; modo redolent à suppellectile & familia sin-  
 „gularim removeat; ac tandem concludit: „Caveat deniq;  
 „ne quid in ejus domo appareat, quod non simplex, aut  
 „purum sit, quod non Dei zelum & omnium inaniam  
 „rerum contempionem testetur.

XV. Subjungit dein c. 9. patrimoniam & frugalitatem,  
 „quæ in mensâ Episcopali servari debent, describens: „In  
 „ea (ait) præter primam escam & unum julentum ci-  
 „bum, alterum lacticinium & duo stragulum genera, u-  
 „num aut alterum, vel ut aliquid consuetudini & hospi-  
 „tium stomacho indulgeamus, tertium ad summum sim-  
 „plicis opsonii ferculum tantum ei apponitur; etiam  
 „quorum vis hospitum causâ.  
 „Bellaria, placentæ, omniaq; saccharo artificiosè con-  
 „dita, cæteraq; escas lenocinia, exquisita etiam vi-  
 „norum genera prohibentur.

XVI. Deniq; c. 20. familiam Episcopi describens, vult,  
 „ut familiæ numerus is tantum modo sit, quo simul Ec-  
 „clesiæ utilitati, & Episcopi necessitati consulatur.

Hunc in finem vehementer hortatur, ut in familia  
 „quam plurimos possit, habeat Clericos, qui non nisi Cle-  
 „ricali vestitu utantur, ac deinde addit qualis esse debeant  
 „famulorum domesticorum vestitus: „Sericum, aurum &  
 „argentum, colorumq; varietatem omnium excludentes  
 „nigrum tantum modo vel fuscum colorem in vestibus  
 „adhibeant. Quibus scissis, aut prætextis ad elegantiam  
 „non utantur. Calcei inaniter non incendantur. Non sint  
 „turgidæ caligæ, non virgatæ, non sectæ; aut acupictæ:  
 „sed simplices unius coloris ac generis. Deniq; talis sit  
 „domesticorum omnium vestitus, ut ex eo etiam  
 „appareat, illos esse ministros ministrorum  
 „Dei.

XVII. Et ne hæc ad solos Episcopos spectare crede-  
 „reatur, exemplo Patrum Tridentinorum subjicit *capit.  
 „23.* „Quæcûmq; autem de Episcoporum mensâ  
 „ejusque benedictione & cibis, lectione & gratiarum  
 „actione

„actione, suppellectile, auro, argento & serico, cubicu-  
 „lorum apparatu, adificiorum magnificentia, superva-  
 „caneis sumptibus, privatiâ moderatione, templorum  
 „cultu & ornamento, familiæ cura & institutione, ejus-  
 „que vestibus, eorumve modo, colore & ornamentis, de  
 „quorum numero, & si quæ alia decreta sunt, quæ non  
 „sunt Episcoporum tantum propria, eadem à *Clericis  
 „quibuscumque* cujusvis conditionis, ordinis & dignita-  
 „tis sint, accurate servari jubemus: etiam si in alienis æ-  
 „dibus, aut cum propinquis habitent.

„Meminerint autem in quibusdam, quæ Episcopis  
 „permittit, ipsis communia esse possunt, eò majorem sibi  
 „moderationem adhibendam esse, quò dignitatis gradu  
 „Episcopi sunt inferiores.

XVIII. Rursus in Concilio IV. Mediolanensi *parte 3.  
 „cap. 7.* inter alia monita, hoc dat iis qui uberiores redi-  
 „tus Ecclesiasticos habent: „Christi visceribus substan-  
 „tiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet pere-  
 „grinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula coniectis, ca-  
 „pivis; quibus egentibus, & esurientibus cùm subve-  
 „nire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ  
 „charitatis rei estis in conspectu Domini.

„Memore estote ejus, quod à sanctissimo Patre Am-  
 „brosio scriptum est, sua Fideles eo animo obtulisse Ec-  
 „clesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, at-  
 „que integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes  
 „perveniret.

„Vos item alii, quicquam estis, quorum fidei Christi  
 „patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque  
 „usum committendum est, cavete ne ambitione, aut cupidi-  
 „tate prolapsi in alium, quàm cui addictum est, conver-  
 „tatis; idque propterea sacrilegii rei, damnationem  
 „æternam subeat.

XIX. Descriptam Episcoporum moderationem &  
 „frugalitatem in suppellectile, mensa & familia sub idem  
 „ferè tempus expresserat Conciliû Toletanum an. 1564.  
 „*Act. 2. c. 3.* hortaturque: „Sint memores Episcopi Di-  
 „vinam Majestatem non leviter offendi, dum non pau-  
 „cis pauperibus, qui ob egestatem & famem vitæ peri-  
 „culum experiuntur & expectant, ex his subveniri pos-  
 „set, quæ mensis Episcoporum contra indictam à Ca-  
 „nonibus frugalitatem maxima cum ignominia veri  
 „splendoris apponuntur.

XX. „Ut altari servientes de altari vivere debent: ita  
 „quoq; omnibus & singulis beneficiis Ecclesiasticis tam  
 „secularia, quàm regularia obtinentibus sæpe recogni-  
 „tandum est (ait Synodus D. Mechliniensis *c. 17. c. 11.*)  
 „quòd quæcumque ultra *honestam* sustentationem ipsis  
 „superflua sunt, non ad ditandos amicos, vel alios profanos  
 „usuf, expendi possint, sed *pauperibus* distribui, aut in a-  
 „lias pias causas erogari debeant.

XXI. Infinitæ propemodum sunt Patrum & Syno-  
 „dorum exhortationes & præcepta, quibus hæc Episco-  
 „pis & omnibus generatim Ecclesiasticis bona Ecclesia-  
 „stica possidentibus inculcantur, & præcipiuntur. Sed  
 „eam Bernardo luxum Prælatorum declamante *Serm.  
 „77. in Cant.* dicere forsitan possem: „Sine causa vel his  
 „vel illis immoramur, qua non audiunt nos. Sed & si  
 „litteris forsitan mandatur ista quæ dicimus, de digna  
 „buntur legere: aut si forte legerint; mihi indignabun-  
 „tur, quamvis rectius sibi hoc fecerint.

XXII. Et quare inter Ecclesiæ Prælatos, qui & Ec-  
 „clesiæ sponsi sunt, pauci hæc audire, & pauciores facere  
 „volunt? Audi Bernardum: „Pauci admodum sunt,  
 „qui non quæ sua sunt querunt, ex omnibus caris ejus. Ad-  
 „de quòd pauci sint, qui attendunt & ruminant, su-  
 „isque cordibus insculptum habent, se non ad propria  
 „commoda; non ad divitias aut luxum; sed ad labores  
 „& solitudines pro Dei gloria vocatos esse; quemad-  
 „modum loquitur Synodus Tridentina in principio ci-  
 „tati Decreti; optaque, „ut ii qui Episcopale mini-  
 „sterium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant.

XXIII. Sed videor audire Prælatos, aliove optima  
 „beneficia possidentes: si in familia nostra, suppellectile,  
 „mensâ, ac totius vitæ exteriori apparatu, omnia sim-  
 „plicitatem, ac mundi ac pompatum ejus contemptum  
 „preferant, ipsa Prælatorum dignitas, & auctoritas in  
 „vilipendium adducetur; nullusque apud populum, præ-  
 „sertim divites & nobiles, erit illorum respectus, nulla  
 „veneratio.

XXIV. Hunc Prælatorum prætextum, quo plerique  
 „luxum & superfluitatem justificatam putant, jam præ-  
 „scidit Conciliû Carthaginense IV. *Can. 16.* quem ex-  
 „pressè renovat Synodus Trid. in allegato Decreto. Ver-  
 „ba Canonis sunt: „Episcopus *vilem* suppellectilem, &  
 „mensam, ac victum *pauperem* habeat, & dignitatis suæ  
 „auctoritatem, *fide & vitæ meritis* quærat. „Apud Gra-  
 „tianum *Dist. 41. can. 7.*

Non ergo luxu & mundi pompis & vanitatibus, au-  
 „thoritatem Episcopalem querendam judicant Patres  
 „Carthaginenses, sed *fide & vitæ meritis*. Similiter & Sy-  
 „nodus Tridentina hunc Canonem innovans.

XXV. Synodus quoque Toletana supra citata, post-  
 „quam præscripsit frugalitatem in mensâ Episcopali esse  
 „servandam, removit hunc vulgarè prætextum dicens:  
 „„Episcoporum si quidem auctoritas non his deliciis, va-  
 „nisque splendoribus, sed fide ac vitæ meritis quæren-  
 „da est.

Similiter S. Carolus quasi in ipso limine supra citato-  
 „rum Decretorum, hunc prætextum prævertens ait: „E-  
 „piscopus non profano ornatu aut apparatu, sed fidei &  
 „vitæ splendore sibi auctoritatem querere debet.

XXVI. Et sanè quo præcipiendæ auctoritatis Episcoporum  
 „& Pastorum & omnium Ministrorum Ecclesiæ tendere  
 „debet, nisi ut populus ad mundi contemptum, & Christi  
 „pauperis amorem excitari & adduci queat? Dubitandum  
 „autem non est, uti monet Synodus Tridentina in eodem  
 „Decreto, „& fideles reliquos ad religionem innocen-  
 „tiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos vi-  
 „derint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem,  
 „ac cælestem patriam cogitantes.

XXVII. Post hæc admonet Episcopos omnes, „ut se-  
 „cum ea sæpe meditates, factis etiam ipsis, ac vitæ acti-  
 „onibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædi-  
 „candi genus, se muneri suo conformes ostendant. „His  
 „immediatè subjicit quæ supra ex ipso Decreto de mo-  
 „destia, & frugalitate servanda retulimus.

Nequaquam igitur credidère Patres Tridentini, Epi-  
 „scopos vanitates & pompas; aut fastum mundi sectan-  
 „do, auctoritatem suam conciliare, aut exemplum populo  
 „dare debere; sed contra horum omnium contemptu, se  
 „muneri conformes ostendere.

XXVIII. Hæc ipsa Synodus Tridentina, quæ tamen  
 „eodem tempore & eadem sessione *cap. 17.* quibus hoc  
 „Decretum publicavit, unâ declaravit, „se non posse  
 „non graviter dolere, audiens Episcopos aliquos, sui  
 „status oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter de-  
 „honestare, qui cum Regum ministris, Regulis, & Ba-  
 „ronibus, in Ecclesia & extra, indecenti quadam di-  
 „missione se gerunt, & veluti inferiores ministri alta-  
 „ris, nimis indignè non solum loco cedunt, sed etiam  
 „personaliter illis inferviunt. Quare, hæc & similia de-  
 „testans sancta Synodus, sacros Canones omnes, Con-  
 „ciliaque generalia atque alias Apostolicas sanctiones  
 „ad dignitatis Episcopalis decorem, & gravitatem pere-  
 „tinentes renovando, præcipit ut ab hujusmodi in po-  
 „sterum Episcopi se absteant; mandans eisdem, ut  
 „tam in Ecclesia quàm foris suum gradum & Ordinem  
 „meminerint; reliquis verò tam Principibus, quàm  
 „cæteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita re-  
 „verentia prosequantur.